

el Sr. Vicario Capitular Canónigo Lic. D. Clemente Munigua, pronunció la oración fúnebre castellana; y acabada ésta, se concluyó el funeral con los cinco *respondos* solemnes que se cantan uno por el *Preste* y los demás por las otras dignidades en los ángulos del catafalco.

Y para complemento de todo, el M. I. y V. Sr. Dean y Cabildo acordó se publicase un cuaderno que contuviese la relación de ambos funerales en los términos que queda dicho, los adornos poéticos de la pira y las oraciones latina y castellana.



ORATIO FUNEBRIS

ILLUSTRISSIMI AC RMMI D. D. D.

JOANNIS CAJETANI GOMEZ PORTUGAL

MICHOACANENSIS EPISCOPI

IN SANCTA CATHEDRALI ECCLESIA

MORELIAE

Undecima Novembris Die

ANN. DOM. 1850

A. D. L. PELAGIO A. LAVASTIDA

IPSIUS ECCLESIAE CANONICO

PROLATA.



MORELIAE.

Typ. I. Arango.

1850.



UOMODO sedet attrita merore hæc sancta
nostra Ecclesia? i Cur sacra monilia depositi,
quibus se, ad repiciendum Dilectum suum ornabat? i Quare
pius concursus manet consternatus, qui paucis ab hinc
diebus, hunc sacrum frequenterat locum, sereno pectore
hilarique vultu ostendens, non modò lætitiam filiorum
propriam, verum etiam vivacissimum sanctæ Religionis ardo-
rem? i Cur animæ nostræ tabescunt hac tristissima mortis
imagine? i Quem ad finem hoc luctuosum erectum est, Mo-
numentum? Quid commune funeribus cum factis præcla-
ris, quorum sola memoria magno semper fuit nobis præsidio
atque solatio? i Quare oppressas sub hujus tumuli pondere,
et inter mortis trophæa, quasi relegatas conspicimus, species
illas, quarum amplitudine revelabantur nobis sive fiducia,

sive gaudium, sive tranquilitas cæteraque pignora, quæ felicitatem innuebant illius ecclesiastici regiminis, quod Dei laudibus populorumque exultationibus vigebat? *¡Qua ratione?...* Sed ¡heu!... Suspiria vestra, singultus, amaritudo aliquie multi affectus quibus estis suffussi, manifestè loquuntur et luculentiter docent, adesse nobis causam doloris profundissimam..... Spectabilis homo inter nos desideratur... Quæritur, et non inventur... *¡At qualis erat?* Erat ille quo spes nostra fulciebatur, consolatio nostra sustentabatur, cor nostrum roborabatur.... Sed ubinam est?.... *¡O numquam satis deploranda jactura!*.... Amisimus, ILLUSTRISSE DOMINE, Episcopum magnum, totius Ecclesiae mexicanæ ornamentum, Mechoacanensis vero Diœcessis gloriam et solatum, juventutis nostræ Parentem, cuncti cleri inexpugnabile Scutum, Ecclesiae libertatis Assertorem, jurium ejus Vindicem, atque bonorum fidelissimum Propugnatorem.... Amisimus Sacerdotem magnum, qui, ut verbis sacris loquar, “in vita sua suffulsi domum, et in diebus suis corroboravit templum.....” Amisimus.... *¡Proh dolor!!* perillustrem Antistitem qui, ut Sacerdos Simon “curavit gentem suam, et liberavit eam à perditione; qui adeptus est gloriam in conversatione gentis, et quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi luna plena in diebus suis” emicuit.... Amisimus dignissimum Præsulem “qui effulsi in hoc templo Dei, ut ipse filius Oniæ in templo Jerusalem, quasi sol refulgens, et quasi arcus inter nebulas gloriæ, sicut cypressus in altitudinem se extollens, in accipiendo ipsum stolam gloriæ, et vestiri eum in consummatione virtutis, et in ascensu altaris sancti gloriam dedit sanctitatis amictum.” Amisimus.... *¡o doloris acerbitatem....!* D. D. JOANNEM CAJETANUM A GOMEZ DE PORTUGAL, virum incredibili scientia et virtute cœlesti ornatum, Pontificem præclarum, illustrissimum Principem hujus Sanctæ

Ecclesiæ, Sanctitati Pii IX carum, ejus Domesticum Prælatum, ad Solium pontificium Assistentem, et in pectore Cardinalem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. *¡Ergo hunc talem Virum amisimus?* *¡Ergo eò tandem calamitatis devenimus?* *¡O crudelis mors!* *¡Quis victoram tuam, hac nostrâ partam miserrimâ clade, é manibus præripere potuisset, et in te ipsam vertere triumphum quem tibi, perempta illa prætiosa vita, reportasti?* *¡O tempora nobis dira!* *¡Cui mortalium licuisset fatalem impedire cursum quo tantus Pastor, orbato grege, decubuit?*

Fratres mei dilectissimi, *¡quod nobis erit solatum? ¡quod in tanta ærumna, tantoque merore levamen?* Dum totam Civitatem, totam Diœcesim, totam Rempublicam planctu et quæstu obrutam vidistis, AA. *¡fuit aliquis, qui verbis magis quam lacrymis et gemitibus, cordis sui sensum exprimere potuerit?* *¡Quid inquam?* *¡Est hodie aliquis inter vos, qui sine animi commotione, ac perturbatione mentis, vitam et mortem Pontificis nostri in memoriam revocare queat?* Septem menses jamjam post lamentabilem casum decurrunt, et maximo parique dolore adhuc fletis: quocumque me ver tam luctuosissimam mortis imaginem reperio, atque in frontibus vestris tristitiam animi et cordis dolorem, peracerba contemplatione introspicio. Squalori squalorem, plangori plangorem addimus. *¡Quid vero solatii ex me ob infelissimam jacturam requiris, Illustrissime Senatus?* Non nisi de te ipso licet hoc expostulare, et quidem non aliter quam impartiendo nobis tuam amaram affectionem, reciproca enim proprii doloris communicatio est inter ipsos dolentes aliquod levamen. Testis lugubris hujus templi funestusque apparatus, testis numerosus Optimatum, Procerum, Sacerdotum, Populi que concursus, testis egomet ipse, qui in hoc lamentationis genus descendo, Joannis Cajetani laudibus commemorandis.

Utinam vero, tanta esset in me dicendi facultas, tantaque copia, ut merita, dotes ac virtutes illius, persequi possem, atque offerre tamquam tributum ac munus, orationem suo condignam objecto, omnibusque numeris absolutam! Attamen, quoad potero efficiam ut intelligent universi Joannem Cajetanum, ita cœlesti Dei gratia ornatum iis animi bonis, quæ Mechoacanensis Ecclesiæ Pastorem decent, ut merito sit connumerandus inter eximios ejus præclarissimosque Decessores. Vita sua optimum argumentum erit.

Ex honestissimis parentibus editus est Præsul noster, cuius virtutes ac gesta præclara, si omnia referre vellem in tanta rerum ubertate, propositas huic orationis generi leges, præterirem. Quapropter donec felicior calamus exurgat, vel aliqua lingua disserta, omnia quæ mihi tantisper cogitanti, sese sponte sua obtulerunt, paucis attingam.

Vix primo ex ætatis curriculo Joannes excessit, dum magistris earum artium, quibus pueritia ad humanitatem informatur, ut eum instituerent, parentes tradiderunt. Ita industriae ac labori respondebat supra modum puer, ut non solum, veluti exemplar cœteris filiis à patre proponeretur, sed tanquam futuri præscius, supremam in Diœcesi dignitatem ecclesiasticam jam ex tunc puero auspicaretur. Primis litteris imbutus, Guadalaxariensem Civitatem missus fuit, ubi sub disciplina Seminarii Tridentini, latinitatis et humanarum artium rudimentis, Philosophiæ, Theologiæ, ac reliquis sublimioribus scientiis, animum applicuit. Nec res defuit intentaminibus variis, sapientum spei tam retro conceptæ. Ut plurima taceam, circa unum tantum vos intentos esse deprecor. Cum post multas ærumnas, multosque labores, dies tandem affulsisset qua Noster Pius papa VII pergratæ recordationis, suum in regnum et Sedem, Dei Providentia, denuo restitutus fuisset; cum catholica Ecclesia quam plu-

rimis atque luculentissimis signis lœtitiam, qua perfundebatur palam Orbi fecisset; cum omnes quacumque decoratione insigniti, in amplissima dignitatum ecclesiasticarum Hierarchia vires asumpsissent in summo desiderio explendo, ut communi fidelium Parenti, gaudium cordis permagnum pro felicissimo illo eventu, notum facerent; Præsul illius Diœcesis vehementer cupiebat e conventu selectissimo litterarum cultorum, quemdam educere, qui sapientia, ingenio, facundia, dicendi ratione, clarissimaque latinitatis disciplina, huic magnæ rei pro sua parte absolvendæ, quam dignè aptissimus præ cunctis inveniretur; Joannes Cajetanus omnia retulit suffragia, et magna Episcopi sui grataque probatione designatus apparuit. Dedit itaque operam huic labori, et lucubratione confecta ad cuius exemplar erat gratulatio Summo Pontifici litteris deferenda, ita sui Præsulis animum sibi devinxit, ut inter varios ad regendam Seminarii cathedralm oppositores, à Prælato denotatus fuerit quamvis ejus ætas **vix** quinque lustris solummodo computabatur. Humanis igitur ac divinis litteris apprimè excultus, bonisque moribus mirificè ornatus magister magistris, sociisque socius illius domi gratissimè salutavit. Sui jam compos factus, incepta studia perfecit, et alia quæ nondum attigerat, pari animi alacritate, atque ardore prosequutus.

Linguæ latinæ, Philosophiæ atque Theologiæ studiis se tradidit, sed quia peculiari quodam animi impetu ad sacras litteras rapiebatur, quidquid ex ecclesiastica disciplina et conciliis in usum traduci posset, diligenter investigavit. Quapropter mirum in modum delectabatur colloquiō sapientum, qui eo tempore, in Seminario, Universitate et Capitulo Guadalaxariensis Ecclesiæ efflorebant; et quorum doctrina non poterat perfaci loquendo, eorum libris ac scriptis legendo reficiebatur; ideoque, doctissimus

atque ab omnibus eruditissimus haberi cœpit. Addictus semper studiis, pietatem numquam deseruit, et mirum sanè fuit, juvenem omnibus carum, et in deliciis habitum, ingenio secundo, vultu semper hilari, indole dulci, alloquium sententiis gravibus refertum, candorem innocentiae, ac vitæ integritatem ita servasse, ut ad extremam usque ætatem, nihil in seipso unquam potuerit offendere hac in re, quod flagitii loco notari posset, ac reprehendi, contra hujus eximiae virtutis jura commissum. Difícile dictu est, quantō gaudiō afficeretur cum aliis benefacere posset, vel aliquem gaudere intelligeret: hunc animum in omnes propensum, ac mirificè benevolum, præcipue in pauperes, oppressosque, carcere devinctos, usque ad extremum vitæ servavit. Assiduus cultor ab ineunte ætate Beatissimæ Virginis Mariæ in Transfixione Dolorum semper fuit; et parvam ipsissimam imaginem, quæ sua tenerima ac puerilia vota suscepit, adolescentiæ, virilitatis, senectutisque orationibus frequenter coluit. Coram Sanctissimo Eucharistia Sacramento, quo passim a pueritia reficiebatur, summa devotione pronus, in preces morabatur. Presbyter factus sacrificium Misæ, fidissimo, pio ac reverenti animo offerre consuevit. Ad erudiendam juventutem die ac nocte, cum scriptoribus Augusti seculi, resentioribus philosophis, ac Theologis illustribus, delectabatur: et ut omnes profitentur, semper in Seminario scientiarum ac litterarum cultum avidè promovit. Sed licet tot, tantisque oneribus Magisterii onustus, vitam ageret actuosa, in prædicatione verbi divini, præsertim catechetica, morali atque dogmatica, sese multoties occupabat. Modicum tempus ad vacandum et se reficiendum assumebat, et inter eruditiores Seminarii Magistros, aliosque doctrina præstantes viros, de Ecclesiastica historia, ac dogmatica Theologia, quibus mul-

tum profecerat, sermocinando trahebat, hujusmodique sermones interjectis salibus, ac venustate jocorum, ita condiebat, ut omnes scientiarum amatores ad eum sèpènumerò convenirent, ac illius colloquio recrearentur. His omnibus summam gravitatem, ac modestiam, severamque morum integritatem, ut ecclesiastico viro par erat, mirabiliter junxit.

Hæc omnia et alia, quæ nec referre lingua unquam poterit, in Seminario Tridentino Guadalaxariensi jam ex tunc, et in ipso ætatis flore, omnium amorem, ac venerationem conciliarunt, quinimmo magnam de illo spem omnes concipiebant.

Post annorum octo curriculum maximo dolore domum educationis reliquit; quia patronus, ut ne tot labores indo-nati præterirent, ad regendam Parochiam, vulgo Zapopam et Curam animarum habendam, Episcopo eum præsentavit. Obtentio munere Parochiali, tot suis viribus, instituendis populis, eradicandis vitiis, et bonis moribus promovendis, peritiam, eruditionem, verba et exempla convertit; ad scitis operariis, quos suis expensis alebat, cum eis parem laborem impariendo. In pauperes facilis, ac liberalis; omnibus etiam minimis illum adeundi semper aditum patuit. Itaque boni mores de die in diem, magis atque magis in sua Parochia florabant, ut a Dignissimo ejus Episcopo, tanquam norma et veluti exemplar, omnibus suæ Diœcesis tam latè diffusæ, animarum onere beneficiatis, sèpissimè proponeretur. Inter pastoralia ministeria propensum in litteris animum nunquam remisit; sed ultra, magna volumina sacrarum litterarum, sanctorum Patrum, et scriptorum Ecclesiæ legebat die, ac nocte perlegebat, jugiterque ruminabat. Ut his studiis in quibus versatissimus erat, operam daret, illiusque bonus animus visu parentum senium in benigniore climate recreatur, paupertate contentus, aliud beneficium curatum in emolumenis abundantius renuntiavit; sed tanti viri doctrina